



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

§. 5. De Permutatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

prateriti nil potest exigere, cum propter illud jam reditus perceperit.

§. 5. *De Permutatione.*

Permutatio hinc est à Beneficiatis facta Beneficii sui in manibus Ordinarii mutua resignatio, ea lege, ut alterius Beneficium alteri conferatur, & vicissim. Si permutanda Beneficia in diversis Dioccesibus sita sint, requiritur auctoritas utriusque Episcopi. Si autem permutatio fiat cum adiectione oneris, vel pensionis, requiritur auctoritas Papæ; quia Beneficia conferri debent sine diminutione, & onere, quod iis jure non inest. Quod si Beneficia sint inæqualia quoad dignitatem, vel jurisdictionem est Simonia juris divini hanc inæqualitatem compensare per aliquid temporale: quia hæc dignitas, & jurisdictio est quid spirituale, & res spiritualis æstimaretur & compensaretur re temporali. Si verò sint inæqualia quoad fructus, Papa potest ad inæqualitatem compensandam imponere pensionem Beneficio pinguiori tanquam conditionem, ut alter indemnis fervetur.

Ad permutationem eadem requiruntur, quæ supra de resignatione dicta sunt: quare Beneficia nequeunt aliis, quam permutantibus conferri: alias invalida erit eorum collatio, quia permutantes non intendunt

dunt resignare mutuò Beneficia, nisi ut sibi conferantur. Quòd si permutatione facta, Beneficium deprehendatur subjectum liti, qui illud resignavit, debet litem prosequi; etsi evictum fuerit, alter redibit ad suam sine nova provisione, & sine nova in possessionem immissione, ex cap. 20. *de Praebend.* in 6.

Ut permutatio licitè fiat, requiritur iusta causa, scilicet utilitas Ecclesiæ, seu major Dei cultus, & majus animarum bonum, vel utilitas spiritualis permutantium, quatenus hic in illo Beneficio, & alter in alio melius potest Deo servire. ex cap. 5. *de Rerum permut.* ita S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 8. ibi *In permutatione est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote, quis hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia.*

Q. 4. *Quanam conditiones seu dotes requiruntur, ut quis sit capax Beneficii possidendi?*

Resp. Ex communi, sunt sequentes 1. Thorus legitimus: nam illegitimè nati, sive naturales, sive spurii, sunt incapaces Beneficii ob irregularitatem, à qua solus Papa dispensare potest ad omnes ordines, & omnia Beneficia: Episcopus verò non nisi ad  
Ton-